

mnis Pascha celebraret. Sed recruduit hoc Ecclesiæ vulnus. Ac primùm quidem sub Constantino Magno: verùm leuiter & facile placata est hæc discordia Nicæna Synodo, quæ Quartidecimanos damnauit, ut est apud Ruff. lib. i. Hist. c. 6. Theodor. libro i. cap. 10. Sozom. libro i. cap. 16. Deinde verò sub Theodosio Iuniore, nimirum Nestorio hæretico, qui tum Episcopus Constantinopolitanus erat, illos saeuissimè persequente & impugnante. Socrat libro 7. cap. 29. Demum prorsus labefactata conticuit hæc hæresis, postquam esset per tot annos in Ecclesia miserrimè grassata, id est, plus quam 200. Audæani tamen hunc errorem postea renouarunt.

*2 Nisi quartadecima.)* Prima quidem horum hæreticorum hypothesis fuit, Pascha non nisi 14. luna celebrandum esse ad morem Iudæorum. Itaque in quanicunque hebdomadæ diem incidisset illa luna, ieunabant, & vigilias agebât, siue ea dies Dominica fuisset, siue alia. Qua in re dupliciter peccari Patres Ecclesiastici censebant. Primum propter imitationem Iudeorum, à quorum iugo & cæremoniis Christi beneficio liberati sumus. Et hoc quidem recte. Secundum, propterea quod die Dominica, & imprimis Paschæ, ieunare nefas omnino veteres existimabant, ut appareat ex Conciliorum decretis, & est non tantum in Can. Scire debet, distinct. 76. sed etiam apud Eusebium lib. 5. Histor. cap. 23. Hoc verò ridiculum fuit, ne dicam superstitionem. Quemadmodum & illud, quod tam anxiè Paschatis festum in Ecclesia Christiana commemorari & celebrari debere voluerunt, quum non Pascha, sed Cœna Domini sit nobis nec

n. ii.